



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

IV. Posteriores Mensis Aprilis dies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

*Forda ferus bos est, facundaque dicta ferendo,
Hinc etiam fatus nomen habere putant.*

CAPUT IV.

Posteriores mensis Aprilis dies.

Sicut prioribus Aprilis mensis diebus, præter Fordicidia quorum meminimus, & Megalesia, qui eant magnæ Matris Deum ludi, alia quoque sacra, tum *Fortuna virili ac Veneri Verticordia* ipsis Calendis, tum *Fortuna publica* VIII Id April tum *Cereri* V Id April, tum denique ipsis Idibus *Iovi Victori* fiebant: ita posterioribus agebantur tum *Equiria* in Circo maximo; tum *Cerealia* XIII, Cal. Majas, tum XI, Cal. Majas, *Pallia*; tum deinceps *Vinalia*, *Robigalia*, atque *Floralia*. Quæ si quis cum Iacobo Hugone, in nova ac vera *Historia Romanâ* ad Philosophiam ac Theologiam Christianam referre voluerit, vel è Floralibus exemplum tum eodem sumet: si ut, ille (a) scribit, *Deam Floram, castissimam Virginem, Nazaræam matrem* (quod nomen *Historicè Florâ, seu floridam signat*) eod, quod extra consuetudinem, nempe consummatum, parituram filium, ex Sybilla noverit. Quæ ut alibi, ita apud Lindam, Deiparæ facile attribui potuerunt.

I.

Liberis recens natis, vita B. Virginis Lindensis
ope conservata.

Ad XVI. Calend. Majas Martinus Ruskowicz, è Radoszyce oppido juxta Petricoviam in Polonia sito, ad Rastemburgenses nundinas merces suas,

R. 4

præfer-

(a) pag. 8. & cap. 23. pag. 181.

præsertim verò vasa vitrea devehendo. Lindam prætergrediens, rem ante triennium ex fide auditam, pari fide recensuit. Diverterat id temporis Sensbrugum, unà cum aliis viæ comitibus itidem Polonis; iisdemque præsentibus, civem ejus oppidi cognomento Koza, opificio lanium audivit referentem; sibi natos in matrimonio liberos, immaturâ morte omnes fuisse ereptos; quoad voto tum ab se, tum à conjugè Lindam concepto, promississent se & Lindam adituros, & liberos deinceps nascituros, Deo & Deiparæ oblaturos. Adierunt, pauloque post geminam susceperunt prolem: quam (ne scilicet Prædicantes resciscerent, ideoque se oppido expellerent) nonnisi clam Deiparæ Lindensi præsentem stiterunt. Ab eo tempore, tum illi, tum alii deinceps nati liberi, sani & incolumes, DEI ac Deiparæ præsidio muniti, vivunt. Rogatus autem à Polonis catholicis lanus, ecquid moraretur catholicam ingredi Ecclesiam, qui tantis in ea beneficiis per Deiparam esset affectus? respondit, se quidem paratum esse ingredi, dummodo locum, ubi deinceps inter catholicos degat, invenire possit; ut vel hinc pateat, quàm verè dictum sit alibi (a) Deiparam per beneficia exteriora, pellicere mortales ad intima & æterna.

II.

Homo rusticanus à cruciatu, qui genu, ad capitis usque dementiam, infederat, iterum levatus.

Sub ejusdem diei meridiem Christophorus Glock, faber

(a) lib.

fabri ferrarii ex oppido Rangnit in Ducatu Prussiae
filius, sed in Episcopatu Varmieniensi, haud procul
Traumburgo, à puero versatus, ideoque in fide ca-
tholica educatus, Divae Lindensi, uti Servatrici suae,
gratias acturus, supplex accessit. Octavus exinde
volvebatur annus, cum ille in V Villemberg Bruns-
bergenfis agri pago, à coloni alicujus obsequiis esset,
& praeter omnem spem, enormem sinistro genu tu-
morem, contraxisset. Tumorem illum, immanis
perinde cruciatus, hunc verò summa primùm in-
quies, tandem & insania excepere. Octo integras
hebdomadas quiete & somno caruit, ut tandem sen-
sibus ac mente motus strenuè deliraret; adeoque
tres menses ergastulo claususteneretur. Nulla aut
Chirurgorum, aut aliorum, quae conducere posse
viderentur, neglecta sunt praesidia; sed, quae homini
calamitoso conducirerent, reperta sunt planè nulla;
quippe malum, uti postmodum est agnitum, à male-
ficorum & Dæmonis operâ erat ortum. Rebus omni-
bus jam desperatis, suâ aliorumque pietate Divae
Lind. commendatus est. Inde primùm deliramenta
sensim abire, atque ratio, quae de sua erat sede dejecta,
menti redire: ut nihil deinceps vel à sensu, vel à
consilio abhorrens, loqueretur, ageretur. Mox cum
ratione rediére & vires corpori, ut gemino nixus
fulcro subalari, iter Lindam ingredi non verere-
tur. Quò cum tandem non minore animi pietate,
quàm virium contentione adreptasset, ipsam Di-
vae Aedem ingressus, quod reliquum erat, morbi la-
tus amisit; ut sine fulcrorum adminiculo (quae re-
pentè abjecit) & quâ liberet, progredi, & iter sede-
cim

cim leucarum, posset domum remetiri. Exactis por-
 rò septem annis, recruduit in eodem genu dolor, &
 quidem priore haud paulò mitior, ut nemini ope-
 ram suam per annum præsentem, addicere pro mo-
 re, precioque posset. Verùm, qui tanta Lindæ ale-
 xipharmaca semel invenisset, minimè de sua beni-
 gnitate sospitatrix dubitare amplius poterat. Ad
 illius proinde opem cum se iterum recepisset, brevi
 revaluit; ut illud idem peregrinationis suæ stadium,
 intra quatrimum, pane duntaxat & tenuissimo po-
 tu refectis utcunque viribus, decurreret.

III.

Femina, ab infania & aliis morbis iterum
 liberata.

Georgii Knobb, è Seyberswald municipii See-
 burgenfis villâ, uxor Regina, prius quàm ante bien-
 nium viro nupsisset, & pedes & caput extremè affe-
 cta est, ut utrorumque destitueretur usu. Nam & pe-
 dibus vix niti, aut, si progrediendum esset, reparate
 vix poterat: caput verò, ita à sensibus erat abaliena-
 tum, ut non modò deliriis, verùm & furore jacta-
 retur; præsensque adeo periculum sæpe esset, ne se
 ipsam mergeret atque aquis præfocaret. Fortè
 Sacerdos quidam tempori adfuit, qui hominis mi-
 fertus, miseram Deiparæ Lindensî commendavit;
 & ut illa quoque se commendaret, persuasit. Conti-
 nuò major animo lux affulsit; & corpori vires reddi-
 ta, ut non modò, dum vita superstes esset, quovis
 anno peregrinam se Lindæ ad futuram promitteret,
 verùm & iter, citra moram, eò arriperet; adeoque
 & cum

& cum Linda voto jam prioris anni defuncta revereretur, viribus haud dubie apud Lindam auctis, tum paribus cursu contenderet in via, & paulò post, quæ nuptui traderetur, idonea esset. Non longè inde, jam nupta, quin & gravida, morbo iterum haud levi infestatur; qui cum & matri & fatui simul esset noxius, visa sibi per somnum admoneri mulier, ut peregrinationem, quam pro venturo mox Pentecostes festo destinarat, et jam acceleraret. Paruit monitis, vel in somno datis, & convaluit; nullaquæ interjectâ morâ, Lindam ad xiv. Calend. Majas profecta est, ut tamen destinatam pro Pentecoste peregrinationem et jam obitura esset.

IV.

Puellæ in ophthalmia sæpe succursum.

Faminæ, cujus modo fecimus mentionem, comitem se itineris, honorandæquæ Virginis Deiparæ sociam adjunxit soror illius Anna, et jamnum virgo: non minus fortasse, quàm soror, Divæ Lindensî obstricta. Detimus jam in decursu erat annus, cum illa, acie oculorum, præ nimîâ vi morbi, jam hebescente à cæcitate haud longè aberat. Quò præstantior homini oculorum sensus est eò præstantiora ad sui integritatem requirit præsidia; eò denique, si vel tantillum lædatur, majorem intendit animo tristitiam atque curam. Quid non remediorum undique conquisitum est, ut vel restitueretur Annæ visus, vel extrema cæcitas arceretur? Ne illicitis quidem apud excantatrices & nefarias magorum officinas temperatum est subsidiis. Ita nimirum unius

caci-

cæcitas, plurimum è domesticis aciem animorum hebetârat : quoad in ea nocte, vel caligine mentium, à singulari beneficiorum Deiparæ Lindenſis claritate radius aliquis eorum quoque menti affulſit. Quid enim dubitarent ſive ſorori ſive cognatæ ſuæ aſſuturam Deiparam, quæ nulli, ſimul ac invocata eſſet, pro ſua pietate poſſet deeſſe? Ergo tum ægra tum cæteri omnes, quæ poſſunt fiducia, votum Lindam nuncupant, & ſanitatem eodem propè momento impetrant. Ægra verò eam in ſoſpiratrice ſua Lindenſi collocavit ipſam, ut quoties exinde aliquis doloris ſenſus recurrat, toties & ipſa ad eam recurrat, & ſemper præſidium certum inveniat.

V.

Fæminarum alteri brachium, alteri pedes reſtituti.

Die VIII. Cal. Majas voti ſolvendi cauſâ ſuo, filiz quæ ſuæ nomine advenit Sophia Gregorii in Nowodwon Lituaniz oppido inquilini vidua; quæ jam in alio Pruſſiz Ducalis oppido, Lick appellato, ſedem fixit. Autumno proximè elapſi anni, filiz quidem Barbaræ annum duodecimum ætatis necdum prætergreſſæ, brachium dextrum, gravis interfederat dolor, ut neque id operi admoveſſe, neque pro libitu aut neceſſitate commovere poſſet; at verò matri ipſi præter dolorem ingentem, tumor quoque pedem utrumq; occuparat, omni facultate gradiendi ademptâ, ac vix relictâ perreptandi. Tâ multiplici malo, ab unâ Dei Matre mater afflicta remedium, factò Lindenſis peregrinationis voto, popoſcit, & facile obtinuit.

VI

VI.

Matri ac filia, pedum sanitas collata.

Eodem die advenit Catharina Thomæ coloni
 (ex Borglowka pago juxta Augustoviam in Litua-
 nia sito, & viginti circiter leucas Lindâ diffito) re-
 licta vidua; ut Divæ Lindenli sanitatis procuratrici,
 debita cum gratiarum actione gratularetur. Morbus,
 qui pedem utrumque contumaciter infederat, in ul-
 cera, sædum in morem eruperat, ut scabies nonnisi
 squamarum instar inde revulsa decideret: ac nisi filia
 brachiis, non tam scipionis aut sustentaculi, quàm
 vehiculi potius vice fuisset usa, nusquam se commo-
 vere loco potuisset. Salutare miserimæ famina præ-
 stitum fuit Divæ Lindenli; quæ partim ab ipsa, par-
 tim ab amicis fuit invocata, præsto fuit, & ægrotam
 omni malo confestim levavit; ut illa haud longo in-
 terjecto tempore; tam longi spatium itineris pedes,
 aequè sana ac læta conficere Lindam usque potuerit.
 Quò cum venisset, et jam pro filia incolumitate gra-
 tias Deiparæ egit; quia & illam ex pede itidem gra-
 viter ægram, simili ad Deiparam voto persanatam,
 constantissimè affirmavit.

VII.

Mulier, amissum pedum usum recepit.

Eadem quoque die, quin eodem ex loco, atque
 eadem de causa, affuit Marina, Martini superiore
 anno defuncti vidua. Totam hyemem proximè ela-
 psam, pedibus omnino deficientibus miserimè af-
 fecta, ac tandem etiam usu eorum destituta erat; ut

VIX

vix reptando movere se loco posset. Simul autem atque ipsa, aliique ejus causâ, votum Lindam fecerunt, mulieri è vestigio melius esse capiti; dolere quoque sensim resedit omnis; quin & pristinam pedum facultatem solito major quadantenus vigor stabilivit; ut neque tantum iter pedes aggredi dubitaret, neque semel illud aggressa, & quasi in quodam pietatis gratitudinisque stadio, decurrens unquam cessavit.

VIII.

Pes luxatus, mulieri non catholicæ restitutus.

Floralia Veterum Romanorum, quorum ante meminimus, in IV. diem ante Cal. Majas, sive in XXVIII. Aprilis incurrebant. Eadem die, si non sacratiores *Floralia*, certè, ut sacræ scripturæ verbis utar: *Flores apparuerunt in terra nostra*. Flores, inquam, nondum enim fructus, qui ex isto, quod circa Lindam Marianam in Ducatu Prussicæ situm est, Ecclesiæ catholicæ novali sperari possunt. Quanquam enim multi, qui in eo Ducatu degunt, non obscuros, neque ignobiles Catholici gemitus præ se ferant flores, præsertim (qui suum ad Lindam Marianam receptum identidem habent) duæ tamen fæminæ, quarum jam mentio fiet, singularem in iis floribus quasi maturitatem ostendere. Altera harum fuit Eva, ex Keikut colonicæ Ortelsburgensis pago, Joannis Radko uxor: quæ cum decem ante annos pedem dextrum ita luxavisset, ut tali (qui se quasi mutuum refugere videbantur) coire nullo modo

modo possent, remedium (quod nemo mortalium afferre jam poterat, quandoquidem & divinatrices, & alii malarum artium præfides consulti, nihil profecissent) à B. Virgine Lindensi nullo propè negotio invenit: quovis ex inde anno, non modò ipsa Lindã, gratias actura invisit, verùm & alios plurimos ad idem miserorum asylum, secum invitat ac deducit. Quam mulieris pietatem hæreticus illius loci prædicans, cum neque ignorare, neque perferre amplius posset, vocatam ad se mulierem, pro supercilio, ac majestate illâ prædicantia ita graviter sæpe objurgavit, ut minis nonnunquã supplicia prope conjungeret. Inter cætera minitabatur illi vincula & compedes, quibus haud facilè exueretur. Ad quã mulier, subibo, inquit, quæcunq; imposueris supplicia, nihilo tamen secius, Lindam frequentando, DEUM ac Dei Matrem laudabo. Neque secus, ac dixit, et jam facit; hoc præsertim tempore, quo idem ille prædicans fato jam sublatus, perfidiæ impietatisquæ suæ, digna apud Orcum supplicia luit.

IX.

Colici quatuor annorum cruciatus, viscerumque tormina curata.

Altera, quæ inter cæteros Lindam Ab Eva deductos è Ducatu Prussia hoc anno venit, fuit puella Anna Baltasaris coloni è Trelskowo Ortelsburgensis agri pago filia. Hæc quatuor annos, colicis excrucianta doloribus ac viscerum torminibus, neque Bartensteini, ubi plures annos servierat, neque alibi, ullum invenit tantis malis remedium. Bono id ac majore

jore Annæ commodo videtur accidisse, ut & facilis
& tutius à Diva Lindensi curaretur. Sive enim illa
eadem Evâ, sive aliis docentibus, sive denique famâ
ubique jam pervagatâ narrante didicit, Divam Lin-
densem omnium expultricem miseriarum, in ea
continuò spem defixit, neque spes decollavit. Mor-
bis igitur Deiparæ ope exempta, matrem orat, ut
sibi gratam esse, & Lindâ aditâ gratias agere liceat.
Mater, tametsi alteri jam viro, & quidem prædi-
cantis fratri in manum convenerat, filia, si quâ
posset, Lindam penetrandi fecit potestatem. Verùm
annus interea effluxit, cùm alia obstacula, sed ma-
ximè prædicantis excubiæ, omnem ipsi præcluse-
runt viam. Hoc tempore, clam, ut potuit, evasit,
Lindam venit, gratias egit, & beneficium sibi præ-
stitum, non sine manantibus ubertim lacrymis
prædicavit.

X.

Puer à morte præsentis, puella à cæcitate
liberati.

Ad III. Calendas Majas, Dorothea Alberti Krö-
fowski ex Iano wo Masoviæ civitate, ad ipsos Præ-
sæ fines sita oriundi vidua, Franciscum novennem
filiolum, & Helenam duodennem filiam, unâ secum
voti reos, Deiparæ Lindensi præsentis stetit. Ac filia
quidem tres ante annos, morbo annum propè inte-
grum vexata ita est, ut toto eo tempore, præ nimia
vi atque acerbitate morbi, oculorum acie obtusâ, vi-
dendi facultatem amiserit. At ubi ad matris preces
atque vota, illa apud DEUM *advocata nostra*, suos illi
miser

Misericordes oculos, ad se invocantem convertit, tri-
duo exinde vixdum elapso, filia cum omni levata est
morbo, tum videndi donata facultate. Jam verò
Franciscus filiulus, incertum quà morbi violentià
actus, quatuor omnino septimanas, sine omni sen-
sa, proinde & sine cibo potuque orani decubuit; ita
ut dexteri pectoris costæ omnes, in morbi protensæ
re protusæ, unius palmi latitudine extra pectus emi-
nerent, sanatus confestim est à voto Lindam per ma-
trēm nuncupato; ita tamen, ut illius morbi vestigium,
quantumvis exiguum, in prominente illa pectoris
parte relictum, spectari et jamnum Lindæ, cum à me,
tum à pluribus aliis potuerit.

CAPUT V.

Mensis Maji primi dies.

VT Ver intra quatuor Anni partes, apud Theo-
 critum (a) ita intra Veris, imò & duodenos to-
 tius Anni menses, principatum Majus obtinet, vel ea
 de causa, quòd placidiorè auræ temperie, etjam in
 regionibus ad septentrionem positis, cum terræ, tum
 arborum flores uberiùs evocet. Quid igitur mirum,
 si apud Tiliam quoque Marianam, supra hibernos,
 vernosque alios menses, divini miraculorum aut be-
 neficiorum flores uberiùs proveniant? Quæ sanè u-
 bertas facit, ut, dum eos colligimus, ne opus nimium
 exciteat, compendio nobis maximè utendum sit, &
 tum hoc, tum sequentibus quoque mensibus, eadem
 planè de causa, oratio citra proemia, ut ajunt, adhi-
 benda.

S!

I. Mor-